

rito argumentum interpretatus est, vanam esse, pro qua huc dum propugnauerat, doctrinam. Mutata igitur sententia, ab Oecolampadio, quod Ortius scribit, reductus, meliora sentire cepit. Post A. cl. 15 XXXVI. concessit Basileam, ibidemque, mutato, cum doctrina, nomine Latino, in Graecum, Borrhaum, se appellavit, pieque, & honeste, vixit. Verbo, ita se gessit, ut dignus haberetur, quem primum Philosophiae, dein Theologiae, docendae Basileenses admoverent. Vtrique officio cum laude praefuit, donec A. cl. 15 LXIV. d. XII. Octobr. ex peste diem suum obierit. Extant Commentationes in quosdam V. T. libros ab eodem confectae. Reformati pie & orthodoxe, ita loquitur Ortius p. 142. illum decessisse scribunt. A Socinianis tamen Anti-Trinitariis annumeratur. Quod & Sandius facit, in Appendice ad Nucl. H. E. p. 85. Sed huius viri non magnopere standum est iudicio, qui non dubitavit viros, ab Arianismo alienissimos, Arianis adscribere, ut ita numerum augetet.

§. XX. *FRANCISCVS CNYPERVS*, qui minus recte in Hornbeckii S. C. p. 355. nominatur Cuperus, ex Mennonis, unde hodieque Anabaptistis Mennonitarum haeret nomen, discipulis erat. Oriebatur vero inter illos dissensio, in qua cum neuter alteri cedere vellet, eo res devenit, ut sese invicem anathematis sententia ferirent. Cnyperus interim veritatem agnovit, & anno cl. 15 LIV. Anabaptistarum errores, praesente Hypolito, Frisorum Praefide, publice, solenniterque, iure iurando interposito, detestatus est. Evolvatur, praeter Hoornbeckium l. c. Ottius p. 118.

§ XXI. *IOANNES DENCKIPSE* e Bavaris oriundus. Norimbergae aliquando in Schola, ad S. Sebaldi aedem, Rectoris munus obiit, unde & Norimbergensis, haud dubie, dictus. Vir fuit cetera non indoctus, nec ingenii obtusioris. Quod libri testatum faciunt, Hornbeckio iudice, non absque acumine scripti. Hinc vulgaria sapere noluit, sed in id incubuit, ut sententiis, inauditis, novisque, famam sibi conciliaret. Recenset easdem copiosius Sebastianus Franckius, eiusdem farinae homo, in Chron. Haeret. f. 159. Deum putabat non aeternum irasci, ideoque cruciatus Diabolorum, & hominum, ad inferos damnatorum,  
finem